

DULCE OTIUM

ex Plinii Minōris epistulārum I, 9



In hāc epistulā, ā Gaiō Plīniō Minōre ad amīcum scrīptā, vīta quae in urbe agitur, reprehenditur ut vacua frīgidaque, ōtium autem litterāle (id est in legendō ac scrībendō perāctum) laudātur.

C. PLINIUS MINICIO FUNDANO SUO S.

Mīrum est quam singulis diēbus in urbe ratiō aut cōnstat aut cōnstāre videātur, plūribus iūctisque nōn cōnstat.

Nam sī quem interrogēs: “Hodiē quid ēgistī?”, respondeat: “Officiō togae virīlis interfui, spōnsālia aut nūptiās frequentāvī, ille mē ad signandum testāmentum, ille in advocātiōnem, ille in cōnsilium rogāvit.”



advocātus in cūriā dēfendit eum quī accusātus in carcerem venīre cōgitur

s[alūtem dīcit]

singulis diēbus: cotidiē

ratiō cōnstat: benē numerō et sciō, quot pecūniae solūtum et quot acceptum sit; hīc – idem de tempore plūribus iūctisque *diēbus*

virīlis, e < vir officium togae virīlis: tempus, quō puer multis convenientibus togam pueri in togam virilem mūtāt interesse + *dat*: partem capere frequentāre 1: saepe locum petere testāmentum, ī *n*: quod homō moritūrus scrībit dē rēbus suis dīvidendīs in cōnsilium: ad cōnsilium dandum advocātiō, ōnis *f*: dēfendere eum quī accusātus et in carcerem venīre cōgitur



spōnsālia, ium n



nūptiae, ārum f

Haec quō diē fēcerīs necessāria, eadem, sī cotīdiē fēcisse tē reputēs, inānia videntur, multō magis cum sēcesserīs.

Tunc enim subit recordātiō: “Quot diēs quam frīgidīs rēbus absūmpsī!” Quod ēvenit mihi, postquam in Laurentīnō meō aut lēgō aliquid aut scrībō aut etiam corporī vacō, cuius fultūrīs animus sustinētur.



eō diē quō fēcerīs haec... eadem...
reputāre < re + putāre inānis, e = vacuus, sine fructū
sēcedere -cessī -cessum = discedere

recordātiō, ōnīs f = memoriā rēs frīgidae: rēs mortuae, quibus agendīs vīta perditur
absūmere = perdere in Laurentīnō meō: Plīnius villam Laurentīnī prope Rōmam habuit
corporī vacāre: corpus exercere

villa Laurentīna

fultūra, ae f



Nihil audiō quod audīsse, nihil dīcō quod dīxisse paeniteat; nēmō apud mē quemquam sinistrīs sermōnibus carpit, nēminem ipse reprehendō, nisi tamen mē – cum parum commodē scrībō. Nūllā spē, nūllō timōre sollicitor, nūllīs rūmōribus inquiētor: mēcum tantum et cum libellīs loquor.

Ō rēctam sincēramque vītam! Ō dulce ōtium honestumque ac paene omnī negōtiō pulchrius! Ō mare, ō lītus, vērūm sēcrētumque μουσεῖον, quam multa invenītis, quam multa dictātis!

Proinde tū quoque strepitum istum inānemque discursum et multum ineptōs labōrēs, ut prīmum fuerit occāsiō, relinque tēque studiīs vel ōtiō trāde.

Satius est enim, ut Atīlius noster ērudītissimē simul et facētissimē dīxit, ōtiōsum esse quam nihil agere.

Valē.

paenitēre: mē (acc) paenitet ita fēcisse = doleō quod ita fēcī

sinistrīs sermōnibus capere = reprehendere

commodē = ut decet

sollicitāri: cūrā ūrī inquiētari ↔ quiēscere

sincērus, a, um: quī nōn mentītur

μουσεῖον > mūsēum, ī n: Musārum templum

proinde = ergō

dis-cursus, ūs m: hūc-illūc cursus

ineptus, a, um: quī nōn convenit; inānis

occāsiō, ōnīs f: tempus idōneum

Atīlius Crescens: Plīniī amīcus

ērudītus, a, um: quī multa scit

facētus, ā, um: benē factus